

enim illi se experiri. Ut ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum; male tamen de illo dii judicaverunt; indignus visus est, a quo vinceretur aliquando fortuna, quae ignavissimum quemque refugit, quasi dicat: «Quid ego istum mihi adversarium assumam? Statim arma submittet, non opus est in illum tota potentia mea: levi comminatione pelletur. Non potest sustinere vultum meum. Alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam judicat gladiator, cum inferiore componi: et scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna, fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque et rectissimum aggreditur, adversus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, nisi mala fortuna non invenit. Infelix est Mucius, quod dextera ignes hostium premit, et ipse a se exigit erroris sui poenas? quod Regem, quem armata manu non potuit, exusta fugat? Quid ergo? felicior esset, si in sinu amicae foveret manum? Infelix est Fabricius, quod rus suum, quantum a republica vocavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit? quod ad focum coenat ipsas illas radices, et herbas, quas in agro triumphalis senex vulsit? Quid ergo? Felicior esset, si in ventrem suum longinqui littoris pisces, et peregrina aucupia congereret? si conchyliis superi atque inferi maris, pigritiam stomachi nauseantis erigeret? Si ingenti pomorum strue cingeret primae formae feras, captas multa caede venantium? Infelix est Rutilius, quod qui illum damnaverunt, causam dicent omnibus seculis? quod aequiore animo passus est se patriae eripi, quam sibi exilium? Quod Sullae dictatori solus aliquid negavit, et revocatus non tantum retro cessit, sed longius fugit? Viderint, inquit, isti, quos Romae deprehendit felicitas tua. Videant largum